R. Oostcohiloo 26 Iul. 44. 4.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Cum erumperet nuperrime inter nos, Vir Nobilissime Hugenî,
laticibus suis uberrimus ille fons ingenii tui, mellis Attici et sua-
vissimis deliciis me quoque perfusum sensi. Cumque id benevolentia
tua et munifica humanitate mihi obtigisset, musarum char-
tumque convivio exceptus me Apollo visus fuisti. Pro quo nihil ha-
beo quod rependam, te dignum, praeter grati animi cultum, et sim-
plex votum ut colerem, quem venerer, Genio tuo vel pauca litare
facere possim. Cum autem voluptati mihi atque honori ducam et
antiquis et novis istis nominibus obstrictum tibi et devinctum esse,
tum gratius commodat me quod publice mihi nomen inscriptum
vidi: nimirum, ubi chartacea volumina quaedam, ex Oriente
a me allata, animi et amoris ergo comparatim ibi sibi cum
amplexus illis Hesperidum spoliis, quae Hercules alter Heinsius
retulisset. Utique constitui me et honesto posuisti loco, sed ubi si-
mul omnium me judiciis expositum cognosco, et velificata aura sub-
ditoque calcare compellari et compelli, ne quam de me concita-
tam voluit tantus vates expectationem eludam penitus ac fallam,
quare alacriore spiritu animatus, et quasi instinctu tui, majore dein-
ceps opera contendam, ne nobis haec studia in me, si quae sint, com-
moda diutius claud. vid. ~~[illegible]~~. Caeterum in me recepi literarum
curam, quas ad Celsissimum Principem ab Academia nostra
Senatu videbis. Iisdem etiam visum fuit per Prorectorem Triglan-
dium ac me institutum suum cum Curatoribus et Urbis Consuli-
bus communicari, quorum utrisque illud magnopere probatum
laudatumque fuit. Eoque auspicatius futurum speramus, ut
delicio tuo decorique nostro Heroi Heinsio et simul Academiae,
quondam tuae, nunc, quod optamus, futurae tuorum, favoris tui
praesidium, ubicunque opus fuerit, commodare pergas. Si precibus
nostris annuat benignissimus Princeps, forte nos ab eo fue-
rit Genevensibus quoque inniti eadem desideria Curatorum. Illis
atque aliis bonis omnibus in voto esse, ne pacata nunc Academia
et tranquilla aliunde vel si quid erumpat, quo sopitus demo
excitetur ignis. Hac ipsa perspecta causa minus mirum videbitur
Genevae petere nos ne apud se fiat quod apud nosmet ipsos ante-
hac factum fuit. Quamvis vero necessitas requirat ut [illegible]
prelo magistratus sine mora intercedat, posset tamen cum ipso [illegible]
agere operis autore, ut ejus consensu pro propria in tui Heinsia-
ni nominis existimationi consulatur, cujus acerrimum se antea vin-
dicem ipse gessit. Alias enim metuendum, ne si ingratiis ejus
aliquid fiat irritato animo ac magis incenso alibi locorum moli-
atur quod Genevae prohibitum fuerit. At sufficit nobis, sapientissi-
mi optimique Principis arbitrio totum hoc quicquid est et reliqua
nostra submissa habere, et favori tuo ac prudentiae commenda-
re. Philosophiae Cartesianae editio ad umbilicum nunc est perducta,
sed petitum autoris nomine privilegium concedere Hollandiae proce-
res distulere, quoad Theologicae Facultatis judicium viderint,
num principia philosophiae illa, qui libri titulus est, ut quidem
ego opinor, pro orthodoxis haberi possint. Vale summe et venerande
Vir et salve ab Addictissimo tibi
J. Golio.

Hagae Comitis
XXII Iul. ∞.IↃCXLIV

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Golius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3630

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Golius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3630

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Golius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3630

Illustri atq; eminenti
viro, Constantino Hugenio,
Equiti, Zulichemi Toparchæ,
Celsissimo Principi à
Consiliis et Secretis.

Aen Mijn Heer
mijn Heer van
Zuylichem dy

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Golius) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3630